

Quod me attinet, negare quidem non possum, histori-
 corum auctoritatem apud iudices et legislatores haud dixe-
 rim exiguam, sed plane nullam esse, nec tamen penitus eam IO
 foro expello, vt faciunt reliqui, si modo fraudis suspicio et
 fauoris enthusiasmus in scriptore desit nec, quae proferuntur,
 rationi contraria sint. Non audio historicos solos adminiculis
 aliis destitutos, si autem conspirent cum aliis instrumentis,
 audio. Talia ergo historiarum documenta, si, vt diximus,
 non nuda sed aliis argumentis vestita sint, admittam non
 tanquam omni exceptione maiora sed, vt nouo verbo utar,
 tanquam *Opitulantia*, incertus an in dicasteriis vel vnum
 asseclam habiturus sim. Sed cum ipse a fraude alienus
 esse mihi certe videor, immo, vt audio, etiam aliis, facile
 cuique assensum praebeo magno quidem cum damno meo,
 (nam valde ab astutis et mendacibus decipior) credo ta-
 men, vsque dum sensu et ratione percipio, mendaces
 et astutos esse, quas veraces putaueram. Nam ratio men-
 dacia dignoscit a veris. Vnde statim apparent philosophica
 argumenta historicis potiora esse. Itaque statuo quidem ma-
 ius, quam caeteri, THVANQ, ALBERTO KRANZIO,
 Chronicis vrbium, aliisque historicis pretium, nec aliter tamen,
 quam si loca ex iis in aetis iudicialibus adducta cum aliis in-
 dubitatis monumentis conueniunt, et probabilia referunt;
 Contra vero si ab argumentis philosophicis, aut testibus, aut
 certis documentis discrepent, aut incredibilia i. e. rationi
 haud consentanea contineant, ne LIVIO quidem ubi-
 que portenta et oracula, erat enim valde superstitiosus,
 referenti, nec THVCYDIDI nec THVANO, multoque mi-
 nus historicis fide minoribus, credo, immo consentio potius
 tunc caeteris legum doctoribus historicorum volumina in
 judiciali probatione penitus reiicientibus,

B

OB.